



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Dispvatio V. De Potentiis materialibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

tionem. Nego consequentiam, quia cognitio concurret illuminando potentiam, & illi representando obiectum: hoc autem præstat in genere causa formalis per unionem sui cum intellectu,

at species, quæ non est formalis & expressa obiecti imago & representatio, sed tantum virtualis, non potest per seipsam formaliter determinare, sed concurrente efficienter ad cognitionem.

DISPUTATIO QUINTA.

De Potentiis materialibus.

ERIMVS de potentiis in communi, & de speciebus quibus potentia cognoscitiua complentur; agendum nunc est de ipsis potentiis in particulari, & primùm de imperfectioribus, scilicet de materialibus, ut ex illis ad altiora faciamus gradum.

SECTIO I.

Potentia materialis, quæ de facto datur, non potest cognoscere obiectum spirituale.

Primo possunt in præfenti in dubium reuocari: Primum, vtrum ab his potentiis materialibus, quæ de facto dantur, possit aliquid spirituale cognosci; Secundum, vtrum possibilis saltem sit aliqua potentia materialis, quæ possit obiectum spirituale cognoscere. De primo in hac Sectione, de secundo in sequenti.

PRIMA CONCLUSIO. Potentiæ materiales, quæ de facto existunt, non possunt naturaliter loquendo, obiectum spirituale cognoscere. Hæc est communis & certa, probaturque ipsa experientia: ² visus enim solum percipit lucem & colorem, auditus sonum, olfactus odorem, gustus saporem, tactus primas qualitates, duritiem & suauitatem, sensus autem internus hæc omnia cognoscit; atqui hæc sunt materialia, ergo potentiæ materiales, quæ de facto dantur, naturaliter solum percipiunt obiecta materialia. A priori autem vix potest reddi vlla ratio, nisi reuocare id in proprias earum potentialium naturas: licet enim possibilis sit aliqua potentia materialis cognoscitiua rei spiritualis (de quo Subsectione 2.) certum tamen est, posse plures esse solum cognoscitiuas rei materialis, imò non omnium rerum materialium, sed præcisè aliquarum, quæ enim in hoc potest esse difficultas? Hoc autem possibili supposito, ipsa experientia aperte ostendit, eas potentias materiales, quæ de facto dantur, esse è numero illarum quæ alligatæ sunt obiectis materialibus, & non omnibus, sed aliquibus, visum v. g. Soli, luci, & colori, auditum sono, &c.

SECUNDA CONCLUSIO. Ab his potentiis materialibus nec diuinitus potest obiectum spirituale cognosci. Hæc etiam est communis, non tamen facile suaderetur. Communis pro illa ratio ea est, quia potentia vitalis non potest extendi, etiam diuinitus, nisi ad obiectum in quo reperitur ratio formalis obiectiua propria talis potentiæ; sed potentiæ materiales, quæ de facto dantur, non reperiunt in obiecto spirituali suam rationem formalem obiectiuam, ergo non possunt nec diuinitus

cognoscere obiectum spirituale. Consequentia est bona: Maior probatur, quia potentia cognoscitiua, ut talis formaliter, est vitalis, & elicitur ab intrinseco, id est, cum connexionem saltem non mutua, quæ consistit in eo ut actus ipsi exigant eam potentiam; sed si in obiecto non reperitur ratio formalis propria illius potentiæ, nec potentia exigit actus de tali obiecto, ut per se patet: neque actus exigant potentiam; quia cum non respiciant obiectum in quo sit ratio formalis propria illius potentiæ, non est cur tales actus petant illam potentiam; ergo potentia cognoscitiua non potest ferri vitaliter, & consequenter nec cognoscere obiectum in quo non sit propria ratio formalis obiectiua ipsius. In obiecto autem spirituali non reperitur propriam rationem formalem potentialium materialium, quæ de facto dantur (quæ erat Minor supra positi argumenti) sic facile suadet, quia ratio formalis obiectiua propria visus est lux & color, auditus est sonus, &c. nihil autem horum esset illud obiectum spirituale, ergo in eo non daretur propria ratio obiectiua potentialium materialium de facto existentium, ergo ab illis nec diuinitus potest obiectum spirituale cognosci.

Non ideo multum huic rationi, Primò, quia, iuxta dicenda inferius, non est necessarium, ut potentia cognoscitiua operetur physice vitaliter: a cognitione enim per se infusa, dummodo potentia sit subiectum capax eius effectus, potest reddi cognoscens; ergo licet actus de obiecto spirituali non petant oriri à potentia materiali quæ de facto datur, adhuc possumus dicere, per eos actus talem potentiam reddi cognoscentem: quo satis sit probationi Maioris propositionis. Deinde contra illam sic arguo ex doctrinâ multorum ex aduersariis: Potentiæ visiva materialis Beatorum percipit lucem & splendorem supernaturalem in sua substantiâ; sed in hac luce non est ratio obiectiua propria visus, quia hæc est ratio coloris, & lucis naturalis, ergo iam potest potentia visiva diuinitus eleuari ad videndum obiectum, in quo non sit propria ratio obiectiua talis potentiæ.

Respondent illi, eum splendorem & lucem esse intra rationem obiectiuam supernaturalem potentiæ visivæ, ideoque posse ab ea potentia supernaturaliter videri. Sed contra, quia in hac solutione petitur principium: dicunt enim, illam lucem esse intra rationem obiectiuam supernaturalem potentiæ, quia supernaturaliter ab illa potest videri (nec enim adest aliud principium, unde id probari possit;) & rursus docent, eum colorem posse supernaturaliter videri, quia est intra rationem obiectiuam supernaturalem illius, quæ est manifesta petitio principij: quæ si tolerari potest, ego etiam dicam, obiectum spirituale esse intra rationem obiectiuam supernaturalem potentiæ visivæ.

visuæ, quia potest supernaturaliter ab eâ videri, etiam si naturaliter non possit. certè tam gratis illud ab his, quàm hoc à me docebitur.

Idèò alij nonnihil ampliùs solutionem hanc explicant, dicunt, eam lucem supernaturalem esse quoad substantiam intra rationem propriam potentie visuæ, quia est lux, sicut lux naturalis, ideoque posse à visu cognosci; quoad modum autem non esse intra rationem propriam potentie visuæ, quia est supernaturalis, quod est modus illius lucis. Hæc solutio solis vocibus difficultatem deludit: illa enim lux per suam substantiam est supernaturalis, & non per modum aliquem sibi superadditum, vt & merito ipsi fatentur, ergo per suam substantiam, & non per modum solum, est diuersa à luce naturali, ergo per suam substantiam est extra rationem propriam potentie visuæ, quia huius obiectum solum est lux in sua substantia naturalis.

Quòd si, quia conueniunt in aliquâ ratione superiori, & genericâ, v. g. lucis, licet differant in alijs rationibus essentialibus & particularibus, dicis, eam lucem supernaturalem esse intra rationem propriam potentie visuæ quoad substantiam; facile impugnaberis. Primò, quia (vt satis efficaciter ostendi Disputatione vii. Physicæ à numero 21.) ratio obiectiua propria potentie non est aliquid abstractum & commune omnibus rationibus in particulari, sed omnes illarum rationes particularium collectivè sumptæ; ergo, cum inter omnes colores & luces, quas naturaliter potentia visuæ potest attingere, non comprehendatur quoad substantiam lux illa supernaturalis, vt per se patet, etiam si habeat aliquod prædicatum superius commune illis, absolute non erit intra rationem propriam potentie visuæ, neque quoad substantiam.

Impugnaberis Secundò, quia conuenire in aliquo prædicato superiori & generico, non sufficit vt ea res conueniens includatur intra rationem propriam potentie, magis enim inter se conueniunt sonus & color, quia conueniunt in ratione qualitatis naturalis sensibilis, quàm lux supernaturalis cum naturali, quæ sunt diuersi ordinis, quantumvis ambe nomine lucis vocentur, quod non facit eas in re esse magis similes, ergo sicut ea maiori conuenientiâ non obstant dicis, sonum nullo modo esse intra rationem propriam potentie visuæ; ita similiter dicere teneris idem de illâ luce supernaturali, quantumvis genericè conueniat cum luce naturali.

Impugnaberis Tertio, quia, sicut tu admittis lucem supernaturalem, cur non poterit admitti lux spiritualis immediatè ornans & perficiens animas & Angelos, sicut lux materialis ornat corpora. certè non video in hoc vllam vel leuem repugnantiam. Tunc autem ego dicam, illam lucem spirituales esse quoad substantiam intra rationem propriam potentie visuæ, quia est lux; non verò esse quoad modum, quia est spiritualis: hoc autem non impedire, quò minus possit cognosci à potentia visuâ, sicut non impedit esse supernaturalem illam lucem, quam tu ponis.

Impugnaberis tandem, quia vel modus ille, in quo dicis non conuenire lucem supernaturalem cum naturali, est aliquid tenens se ex parte obiecti, & vt sic quoad substantiam different obiecta, vt dixi; vel est modus tendendi tenens se ex parte

potentie, & hic etiam solus sufficit casu quo diuersus sit à modo tendendi potentie visuæ, vt non possit hæc videre lucem supernaturalem, sicut intellectus, quia non habet modum tendendi voluntatis non potest nec diuinitus amare, etiam si respiciat idem obiectum quod respicit voluntas; ergo, si modus respiciendi lucem naturalem, non est modus respiciendi lucem supernaturalem, non poterit visus, qui est determinatus ad vnum modum tendendi, extrahi ad alium, sicut intellectus non potest extrahi ad modum amandi etiam suum ipsam obiectum. His ergo rationibus ommissis, quia partim supponunt conclusionem, partim petunt principium, melius potest sententia communis supra posita probabiliter suaderi.

Quia, sicut ex eo quòd lapis nihil cognoscat, inferimus, eum non esse cognititum, & consequenter nec de potentia absolute posse reddi cognoscentem, quia ad hoc vt recipiat effectum formalem cognoscentis, debet esse subiectum capax ex se, & proportionatum ad illum effectum; ita similiter ex eo, quòd potentia materialis, quæ de facto datur, solum sit capax ex se effectus formalis cognoscendi obiectum materiale, & nec quidem omne, sed aliquod determinatum, inferimus probabiliter, eam potentiam esse incapacem effectus formalis cognoscendi obiecta spiritualia & materialia, etiam diuersa ab his quæ de facto cognoscit, & quoad hæc eam potentiam se habere sicut lapidem; differre verò ab illo, quia hic est incapax effectus formalis cuiuscumque cognitionis: illa verò potentia materialis est capax saltem alicuius cognitionis. Ex quo non inferitur esse incapacem effectum formalem omnium cognitionum: quia, vt dixi num. 1. non repugnat potentia aliqua ex se limitata ad aliquod obiectum in particulari, sicut lapis est limitatus ad recipiendum effectum formalem aliquorum accidentium, non verò omnium.

Obijcies Primò: Quælibet creatura habet potentiam obedientialem ad quoscumque effectus, ergo & quælibet potentia ad quascumque cognitiones. Distinguo consequens, ad quascumque cognitiones producendas instrumentally, concedo consequentiam; ad recipiendum effectum formalem cognoscentis à quacumque cognitione, nego consequentiam: quia effectus formalis vltra receptionem formæ dicit subiectum capax, vnde, licet lapis possit eleuari ad producendam & recipiendam gratiam & cognitionem, quia ad huiusmodi productiones non requiritur, illum esse capacem ex se effectus formalis cognoscentis & grati, non tamen potest reddi à gratiâ & cognitione gratus & cognoscentis, quia est incapax ex se talis effectus: ita similiter, licet quælibet potentia cognoscitiua possit eleuari ad productionem cuiuscumque cognitionis, aut appetitionis per potentiam obedientialem, non tamen potest eleuari ad recipiendum effectum formalem cognoscentis, & appetentis per quamlibet cognitionem & appetitionem, quia non est subiectum proportionatum cum quolibet.

Replicabis, in hac ipsâ solutione videri me petere principium; dico enim, non posse lapidem eleuari ad videndum, quia non est capax, & non esse capacem, quia non potest eleuari; quòd si hunc circulum non facio, non est vnde probem, lapidem

- lapidem non esse capacem talis effectus. Respon-
deo, à me non fieri talem circulum, sed incapa-
citatem lapidis ad hos effectus ex naturâ ipsius
erui: vt enim notauimus Disputatione II. à num. 60.
- 14 agens de potentiâ obedientiali, cum simile argu-
mentum tractarem, cognoscens, videns, appe-
tens, sunt effectus formales, qui intrinsecè com-
ponuntur ex subiecto & formâ, sicut homo ex
materiâ & formâ, & quodlibet totum ex suis
partibus. Sicut ergo non potest homo componi
ex quibuscumque partibus, sed est essentialiter
determinatus ad has partes, ita effectus grati est
determinatus ad creaturam talem & ad talem
gratiam: idem est de appetente, cognoscente, &c.
Ex terminis autem ipsis videtur constare, lapi-
dem non esse capacem vt sit gratus, etiam si ipsi
inhæreant gratia; neque vt sit intelligens, etiam si
habeat intellectionem; est enim valde diuersa
comparatio ab animâ ex quâ componitur essentia
huius totius cognoscentis, grati Deo, &c.
- 15 difficultas non habet locum in ordine ad ope-
randum transiunt, & ad denominationem il-
lam producentis, vt dixi loco citato, quia multo
minor proportio requiritur ad has denominationes
purè extrinsecas & quasi physicas operantis,
quàm ad compositionem intrinsecam non solum
habentis intrinsecè intellectionem, sed etiam
intelligentis, quæ iam aliquid amplius requirit,
vt per se patet.

Obijcies Secundò: Intellectus naturaliter est
improportionatus ad visionem Dei, ad quam di-
uinitus eleuatur, ergo licet potentia visiva natu-
raliter sit improportionata ad cognitionem obie-
cti spiritualis, adhuc poterit diuinitus ad eam
eleuari. Respondeo, intellectum absolute posse
Deum cognoscere naturaliter saltem abstracti-
uè; vnde Deus absolute est obiectum intelle-
ctus. ex quo fit, vt quando eleuatur intellectus ad
Dei visionem, non eleuetur extra suum obie-
ctum, sed ad illud perfectius & clarius cog-
noscendum; at potentia visiva, si eleuaretur ad
obiectum spirituale, omnino extraheretur à
suo obiecto, quod videtur repugnare ob ratio-
nem dictam.

Obijcies vltimò: Potentia visiva potest videre
lucem supernaturalem in suâ substantiâ; sed
hanc naturaliter neque abstractiue cognoscit, er-
go poterit eleuari ad cognitionem rei spiritualis,
licet naturaliter nequeat illam cognoscere. Ex
dictis suprà à numero 5. constat, difficile, ad-
missò Antecedente, negari consequentiam: vnde
nego Antecedens, quod ab aduersarijs sine fun-
damento docetur. Quod si in cælo est aliqua lux
supernaturalis, illa videbitur ab intellectu, sicut
ab eodem videtur corporis substantia, & alia ac-
cidentia materialia insensibilia.

SECTIO II.

*Utrum possibilis sit potentia materialis
cognoscitua obiecti spiritualis.*

- 17 COMMUNIS ferè omnium sententia docet,
eiusmodi potentiam omnino repugnare.
Probatur variè à Doctores. Prima ratio sit
quam adducunt nonnulli recentiores, Quia nul-
la potentia materialis potest neque per discursu-

sum, neque immediate in se rem spiritua-
lem cognoscere. Non immediate: si enim imme-
diatè cognosceret ens spirituale, esset perfectior
nostro intellectu, qui vix format conceptum
abstractiuum de re spirituali, ergo. Confirma-
tur: si ille sensus immediatè cognosceret rem
spiritua-lem, haberet pro obiecto adæquato
omne ens, & quidem intuitiue, ergo esset pete-
ctor nostro intellectu, quod repugnat; ergo non
potest immediatè sensus ferri in rem spiritua-
lem. Sed neque per discursum, quia hunc con-
sequitur libertas: per discursum enim confer-
runtur & expenduntur obiecta, potentia autem
materialis non est capax libertatis, quia repugnat,
potentiam materialem bene & male operari, esse
dignam amoris & odio Dei, esse illi amicam aut
inimicam; ergo potentia materialis non est capax
discursus, ergo nullo modo potest cognoscere ob-
iectum spirituale.

Ob multa capit displicet hæc ratio. Primò,
quia non videtur repugnare libertas, amicitia, vel
inimicitia Dei potentia alicui materiali, vel si
repugnat, tam difficile ostendi repugnantiam,
quàm in eo, quod cognoscat obiectum spiritua-
le; materialitas enim consistit, iuxta dicta à no-
bis, in impenetrabilitate partium, spiritualitas in
penetrabilitate. cur ergo impenetrabili substan-
tiæ repugnat libertas, & amicitia Dei, non verò
substantiæ penetrabili? Certè non video inter
has duas substantias tantum discrimen, vt suffi-
ciat ad concedendum vni, negandum vero alteri.
Sed de hoc fusiùs agemus infra.

Secundò displicet hæc ratio, quia ex discursu
intellectus non sequitur libertas necessariò, non
ergo, quia potentia materialis discurreret circa
obiectum spirituale, esset libera. Probo Antece-
dens, quia discursus solum dicit vnum inferri
ex alio; sed cum hoc fiat, vt positis omnibus, ad
amandum potentia sit necessitata ad amorem, er-
go discursus non annectitur essentialiter libertas.
Vnde fit, vt stulti & infantes, etiam si non habeant
libertatem, sapè tamen in rebus physicis suos fa-
ciant discursus. Confirmatur, quia, vt dixi
Disput. II. num. vlt. potest esse aliquid intellecti-
uum, quod non sit volituum, & consequenter
nec liberum; ergo ex virtute cognoscendi per
discursum non inferitur libertas necessariò,
quandoquidem nec virtus vlla volitiua inferuntur.

Tertiò displicet, quia licet illa potentia mate-
rialis intuitiue cognosceret obiectum spirituale,
quod noster intellectus cognoscit abstractiue, ad-
huc posset illa cognitio imperfectior esse nostrâ
spirituali, sicut cognitio abstractiua intellectus
de albedine in tuâ sententiâ, & vera est perfectior
cognitione intuitiua visus, quæ materialis est; er-
go non quia immediatè cognosceret illa potentia
obiecta spiritualia, esset perfectior nostro in-
tellectu.

Quartò displicet, quia licet illa potentia per-
fectius cognosceret propria obiecta quàm noster
intellectus, & ex parte hac esset illo perfectior,
posset tamen illa potentia limitata esse ad quatuor
vel quinque obiecta spiritualia; vnde à nostro
intellectu capaci videndi Deum, & in statu sepa-
rationis cognoscendi etiam intuitiue omnia en-
tia, absolute excederetur in perfectione. Deni-
que, quæ repugnantia inueniatur in eo, quod sit
possibilis diuinitus aliqua substantia impenetra-
bilis

bilis cum altera in eodem loco, quæ tamen sit perfectior quam nosse animus? nonne illa impenetrabilis poterit aliunde compensari?

- 21 Quod si hi velint spiritualitatem in carentiâ partium constituere, adhuc omnes istæ meæ solutiones vel impugnationes locum habent: nam carentiâ partium non est conceptus ex se ita perfectus, ut non possit excedi nec æquari à re habente partes; nam in horum etiam sententiâ anima equi, etiam si materialis sit & partes habeat, est perfectior quam vbiatio spiritualis animæ (& hoc exemplum habet vim, in quocumque consistat materialitas vel spiritualitas): ergo licet forma equi ob alias rationes adæquat imò & excedit accidens spirituale, ita poterit esse aliqua substantia materialis, quæ & virtute cognoscendi, & loco se mouendi, & quia sit essentialiter completa, vel ex alijs diuersis capitibus adæquet, imò & excedat animam rationalem. Neque extali excessu per locum intrinsecum sequuntur duo contradictoria: non enim debemus quasi clausis oculis, & sine vllâ distinctione, statim clamare, Est spirituale, est spirituale, ergo perfectius quam omne materiale; licet enim id verum sit, ceteris paribus, non tamen absolute, quando aliunde sit compensatio.

- Sit ergo secunda aliorum ratio pro eâ communi sententiâ: Potentia non abstrahens in suo esse à materiâ, qualis est materialis, non potest in operatione abstrahere ab eadem materiâ, ergo nec cognoscere obiectum ab illâ abstrahens, id est spirituale. Respondeo, aliud esse, operationem non abstrahere à materiâ; & aliud, non abstrahere eius obiectum: sicut aliud est, omnem operationem cognoscitiuam nostri intellectus esse creatam; & aliud, esse creatum obiectum illius: primum est verum, secundum autem falsum; ut quando cognoscimus Deum. Item aliud est, operationem esse finitam; & aliud, eius obiectum esse finitum. Vnde, sicut ineptè inferret quis, non posse cognosci Deum à creaturâ, quia Deus non est productus, & est infinitus, creatura autem est producta, & est finita, & eius operatio non potest non esse finita & creata, nec potest abstrahere à ratione finitæ & creatæ; ita etiam non rectè inferretur, non posse rem spiritualemente à materiali cognosci, eo quod hæc non abstrahit à materiâ, secus illa. imò hoc argumento probaretur, neque à re spirituali posse materialem cognosci, quia cognitio spiritualis abstrahit à materiâ, à quâ non abstrahit obiectum materiale.

- Tertia aliorum ratio sit, quia cognitio materialis debet cognoscere diuisibiliter; obiectum autem spirituale, quia indiuisibile, petit indiuisibiliter cognosci, ergo non potest per cognitionem materialem attingi res spiritualis. Hæc ratio peccat in multis. Primum, quia, iuxta dicta supra, res spiritualis potest esse diuisibilis, ergo saltem hæc poterit à potentiâ materiali cognosci. Secundò, quia etiam res materialis potest esse indiuisibilis, ergo illa poterit cognoscere obiectum spirituale indiuisibile. Tertiò, quia actus spiritualis est compositus ex partibus saltem intentiuis, eius tamen obiectum illis caret, ergo licet actus materialis sit compositus partibus extensiuis, adhuc poterit cognoscere obiectum spirituale indiuisibile. Ratio est, quia obiecto indiuisibili solum repugnat, cognosci secundum aliquid, & non se-

cundum totum; non verò repugnat, cognosci per plures partes cognitionis, si quælibet totum cognoscat; sicut non repugnat animo indiuisibili vbiatio diuisibilis, cuius quælibet pars totum animum afficiat.

Quarta ratio, Quia obiectum non potest cognosci nisi per cognitionem proportionatam sibi, & eiusdem ordinis, ergo non per cognitionem materialem. Respondeo, falsum esse Antecedens: Deus enim est in superiori ordine respectu cognitionis creatæ, item & omnis substantia respectu cognitionis creatæ (hæc enim est accidens, substantia verò, quæ talis est, & altioris ordinis) & tamen non propterea repugnat, Deum cognosci à creaturâ, & substantiam esse obiectum cognitionis accidentalis.

Dices: Saltem requiritur, ut principium cognitionis sit in eodem ordine cum obiecto. Sed contra, quia creatura, quæ est principium cognitionis Dei, non est in eodem ordine cum illo. Contra deinde, quia anima non est in eodem ordine cum Angelo; hic enim est substantialiter completus, & nullum dicens ordinem ad materiam, anima verò est substantialiter incompleta, & ordinata ad materiam, ut ad compartem. neque video, cur esse penetrabile constituat diuersum ordinem à re impenetrabili; & esse completum substantialiter, carereq; ordine ad materiam, non constituat diuersum ordinem à re substantialiter incompleta, & dicente ordine ad materiam ut ad compartem; vel saltem (si hoc non vis) cur Deus non sit in diuerso ordine à creaturis. Ergo sicut hoc non impedit, ne anima possit Angelum cognoscere, aut creatura Deum, ita nec illud impedit, ne res materialis cognoscat spiritualemente.

Quinta ratio, Quia ex his quæ de facto dantur, inferimus probabiliter ea quæ possibilia sunt, & ex his quæ non dantur, ea quæ sunt impossibilia: atqui de facto non datur vlla potentia materialis cognoscitiua rei spiritualis, ergo nec potest dari. Respondeo, Maiorem esse falsam quo ad secundam partem; nec enim omnia, quæ possibilia sunt de facto, à Deo creata fuere, alioquin non esset possibilis potentia materialis cognoscitiua substantiæ materialis, & aliorum accidentium materialium præter ea quæ de facto per quinque sensus cognoscuntur, quod nullus docebit. Sequela probatur, quia de facto nulla potentia materialis est cognoscitiua substantiæ materialis; item nullum esset possibile corpus simplex, quia de facto non datur, ergo nec probabiliter inferretur, non esse possibilem potentiam materialem cognoscitiuam obiecti spiritualis, eo quod de facto non detur.

Vltima ratio, Quia si esset possibilis potentia materialis cognoscitiua obiecti spiritualis, posset etiam esse cognoscitiua Dei; absurdum autem est, Deum posse cognosci & videri per potentiam materialem, ergo. Sed Primum respondeo, negando sequelam. Sicut enim ex eo, quod potentia visiva possit videre colorem, non sequitur, posse videre etiam alia accidentia imperfectiora, v.g. sonum, &c. ita nec, quia illa potentia materialis possit videre aliqua obiecta spiritualia, sequitur, posse videre omnia: & multò minùs sequitur, posse videre perfectissimum omnium, id est Deum; ergo sequela non est bona. Secundò respondeo, fortè non repugnare potentiam

materiam adeo perfectam, ut elevata possit videre Deum; neque enim adeo excedit impenetrabilitatem, ut id teneamur dicere, nihil impenetrabile posse videre Deum, secus penetrabile. Adde, si id tibi durum videtur, posse responderi, imperfectionem materialitatis, licet non oblit cognitioni alicuius obiecti spiritualis, obesse tamen cognitioni de summo obiecto spirituali, quale esset Deus, eo quod nobilissimum saltem obiectum petir, ne potentia habeat imperfectionem materialitatis. Ego magis inclinor ad putandum, non repugnare.

Ecce quæ pro communi sententiâ afferuntur, quæ satis levia sunt: unde probabilius censeo cum aliquibus, non repugnare potentiam materialem cognoscitivam rei spiritualis, quia, ut dixi, tota imperfectio materialitatis ad impenetrabilitatem per se reducitur: impenetrabilitas autem non adeo magnam includit imperfectionem, ut propterea nulli rei impenetrabili possit ea virtus cognoscendi obiecta spiritualia concedi, præsertim cum, iuxta supra dicta, non requiratur, potentiam & obiectum esse in eodem ordine.

SECTIO III.

De Potentijs externis.

³⁰ **E**AS esse numero quinque, visum, auditum, olfactum, gustum, & tactum, experientia docet, sed non omnes in quolibet animali reperi etiam videmus, talpe enim visu carent, alijs deest olfactus, quod in propriam eorum naturam reducendum est. De his quinque sensibus, & eorum obiectis, eruditè, eleganter & copiosè agunt Conimbricenses lib. 2. de Animâ à cap. 7. ad finem vsque libri. Nos in hac Sectione breuiter aliquas difficultates communes omnibus, & proprias singulorum expediemus.

SUBSECTIO PRIMA.

Quædam omnibus communia expediuntur.

³¹ **D**IFFICULTAS prima sit, utrum in sensibus detur error. Huic respondeo, sicut dixi in Logicâ Disputatione xiv. de Veritate, in simplici apprehensione dari aliquem errorem, quando res per illam apprehenditur aliter ac est: ita in præsentia respondeo, in sensibus dari aliquando errorem, ut v.g. quando apprehenditur obiectum in eo loco ubi non est, ut contingit in speculo; item quando apprehenditur lux ac si esset color, ut in Iride. Quod si hunc nolueris dicere errorem, quia non affirmat, quæstio erit de voce. Hoc certum, per illum actum apprehendi aliter rem ac est, est enim apprehensio complexa uniens cum obiecto ubi rationem, quam in se non habet, hoc ego dico errorem, tu illud voca ut volueris.

³² **S**ecunda difficultas est, utrum sensus ita pendeat ab obiecti præsentia, ut nec de potentia absolutâ possint rem absentem percipere. Hac difficultas est duplex; Prima, utrum visus v.g. possit colorem apprehendere, quin alicubi illum apprehendat, sed solum abstractè. In hoc sensu probabilior censeo negatiuam partem: ratio est, quia horum sensuum notitia est ex se intuitiua; sed ad notitiam intuitiuam requiritur appre-

hendere rem v. præsentem, ergo sensus non potest rem v. abstractam à præsentia cognoscere. Confirmatur, sensus non possunt discurrere, ergo nec cognoscere abstractiue. Parer consequentia, quia tam alienus est à modo tendendi sensuum actus abstractiui quam discurrere. Tandem, quia non facile percipitur, quomodo visus videat colorem, & non cum alicubi videat. Dixi, *probabilis*, quia posset aliquis dicere, id naturaliter conuenire sensibus, diuinitus autem aliter posse, quia non ostenditur repugnantia.

Secundus sensus difficultatis est, utrum possit Deus de potentia absolutâ, deficiente albedine, eius species conseruare, & utrum tunc possit visus albedinem videre. Hac difficultas enodatur est supra, dum egimus de speciebus soni; ibi enim ostendi, species soni durare illo transacto, etiam additionem fieri transacto sono: ex quo inferitur, nullam esse repugnantiam in eo, quod de potentia absolutâ possint species conseruari in absentia obiecti, & sine illo fieri sensatio, quandoquidem ita in sono de facto naturaliter contingit. Ratio à priori est, quia Deus potest supplere defectum cuiuscumque causæ creatæ in ordine ad terminum productum, licet non in ordine ad actiones, hæ enim sunt modi essentialiter ab agente, à quo semel oriuntur, dependentes. Atqui species & cognitio non sunt actiones, sed qualitates per actionem productæ (de quo inferius) ergo poterit Deus supplere præsentiam obiecti ad producendam speciem, imò & supplere speciem in ordine ad producendam cognitionem, ergo sine obiecto, imò & sine specie poterit de potentia absolutâ fieri cognitio extrema sensus, præcipue cum obiectum non requiratur ad terminandam cognitionem, iuxta supra dicta. Adde, etiam si cognitio esset actio producta ab obiecto, vel à specie, adhuc posset Deus in absentia obiecti producere cognitionem, non quidem illam quæ esset actio obiecti, sed aliam quæ solum esset actio Dei & potentie, quæque esset diuersa speciei ab alterâ cognitione essentialiter pendente à specie impleta, & obiecto.

Dices: Illa cognitio non esset intuitiua, quia non est intuitio rei existentis, ergo repugnat sensui. Parer ex te supra docente, sensui repugnare cognitionem abstractiuam. Respondeo facile, visionem intuitiuam duo dicere, & quod per ipsam visionem apprehendatur obiectum v. præsens, & hoc est intrinsecum cognitioni, & omni externæ sensationi essentiali, iuxta supra dicta, quia est proprius modus cognoscendi sensus: aliud extrinsecum dicit cognitio intuitiua, scilicet existentiam ipsam obiecti, sicut propositio vera dicit affirmationem obiecti, quod est illi intrinsecum, & ipsam existentiam obiecti illi extrinsecum. Et sicut propositioni non potest deesse ratio affirmationis, potest tamen deesse ipsa existentia obiecti; ita cognitioni sensus non potest deesse, iuxta dicta supra, hoc quod est apprehendere obiectum v. præsens, potest tamen deesse hoc quod est ipsum obiectum esse præsens; quo casu non esset intuitiua adæquate, imò nec omnino vera, ut supra dixi, quia apprehendit obiectum aliter ac est, apprehendit enim illud v. præsens, cum tamen verè non sit præsens. Quomodo autem tunc ea visio vceanda sit, quæstio est de puro nomine, de quâ non sum sollicitus. Vbi obliuiscor

obserua inconsequentiam eorum, qui dicunt, propositioni vere esse essentiali veritatem, seu actuali existentiam obiecti; hic autem dicunt, 36 eandem sensationem externam posse transire de verâ in falsam, seu, ne vim in nomine faciamus, illi esse essentiali representare quod obiectum existat, non verò esse essentiali ipsum obiectum existere (quod eodem modo videtur dicendum de propositione) & consequenter, non esse illi essentiali veritatem actuali.

Sed obijcies: Potest dari apprehensio intuitiva obiecti non existentis, ergo etiam Deus poterit habere hanc intuitionem rei non existentis. Nego sequelam, quia cognitio Dei intuitiva, est indicativa; repugnat autem Deo, aliquid affirmare de obiecto, quod verè non habet, sensui autem non repugnat hic error, iuxta proximè dicta.

Tertia difficultas est, utrūq; actus horum sensuum non solum in brutis sed etiam in homine materiales sint. Ratio dubitandi est, quia, cum in homine detur animus spiritualis, in quo necessario debeant recipi prædicti actus, iuxta dicta suprà, dum egimus de potentijs, nec videatur necessarium, eos actus recipi etiam in materiâ, non videtur necessarium eos dicere materiales.

37 Supponunt communiter omnes, eos esse materiales, illi etiam subscribo; & ratio est, quia in eiusmodi actibus conuenit homo cum brutis, sunt enim cum eisdem speciebus materialibus in potentijs omnino similibus; organizatio enim oculi, in quo fit visio, humor illius idem est in homine ac in equo, & idem de gustu, tactu, & de alijs sensibus: item eodem modo impediuntur potentie hominis ab his actibus, sicut potentie brutorum: quibus efficaciter ostenditur, eos actus hominis esse dependentes à materiâ, sicut actus bruti, & consequenter esse materiales. Et ratio à priori est, quia homo est animal, licet rationale, unde est principium sensitiuum & materiale, sicut alia animalia; est etiam spirituale & intellectuum, quo ab illis differt. Quando autem intellectus non potest suas operationes exercere rectè, in reliquis actibus vix distinguitur à belluâ, ut in homine omnino insensato cerni facile potest; habet ergo homo operationes materiales communes belluis, habet & spirituales proprias quibus ab illis distinguitur. Explicatis his quæ communia sunt quinque sensibus, de eis in particulari agamus oportet.

SUBSECTIO SECUNDA.

De Visu.

PRIMUM obtinet locum, ut omnium perfectissimus, visus, cuius obiectum est lux & color, quæ sunt duæ qualitates inter materiales nobilissimæ, exceptis actibus intentionalibus. Requirit color, ut emitat species sui, esse illuminatum, non tamen est necessarium ut totus aer vsque ad potentiam visivam illuminatus sit, ut patet experientia, quâ videmus ex obscurissimis locis lucem distantem, imò ex profundissimis puteis referunt nonnulli etiam in meridianâ luce stellas conspici.

39 Contra hanc conclusionem stant Conimbricenses, qui mouentur: nam si obiectum, ut pro-

ducat speciem, requirit lucem, ergo & vna species, ut producat aliam per aërem, requirit lucem: Nostro argumento respondent, in illis casibus etiam produci lucem per totum aërem vsque ad potentiam, licet exiguam. Sed hinc eos redarguo: ea lux exigua non sufficit, ut obiectum ibi existens possit producere species, & tamen sufficit, ut species veniens ab obiecto distanti illuminato, possit aliam speciem producere, & fortè intensiorem quàm si medium fuisset illuminatum, ergo non petit idem vna species, ut producat aliam; quod requirit obiectum ut producat primam speciem. Quo corrupto totum argumentum Conimbricensium, desumptum ex eo, quod idem petit vna species, ut producat aliam, quod obiectum, ut producat primam. Contra Secundò, 40 quia, quando ex obscurissimo cubiculo nocturno tempore videtur lux in monte ad quatuor sexve leucas aut fortè duodecim distans, non potest probabiliter affirmari, per totum illud spatium vsque ad cubiculum productam fuisse lucem, experimur enim, ibi tunc alios homines nobis proximis, nec parietes ipsos vllâ vi percipi posse, ergo quia ibi non est vlla lux, ergo non requiritur lux in potentia, ut possit obiectum videri, sufficit enim, eam esse in obiecto. Quæ autem huius sit à priori ratio, non potest à nobis definiri; reuocandum ergo est in propriam obiecti & speciei naturam.

Dubitatur in præfati Primò, utrū color sit obiectum formale visus, an materiale. Respondet, esse formale, quia color in seipso immediatè terminat visionem, non autem in luce prius visâ; est ergo obiectum formale, quia verò pendet à luce ut videatur, dici solet obiectum materiale; lux autem, quæ non pendet à colore, formale. Aduerte tamen hic, lucem solum videri quando 41 terminatur corpore aliquomodo opaco, ut experientia constat, vel quando habet aliquid quidam de colore, ut radij solares & ignis de flauedine.

Dubitatur Secundò, utrū color distinguatur à luce. Quidam negant, quia deficiente luce deficit color, ergo non distinguuntur. Sed facile impugnantur hi Auctores Primò, quia cum lux & radij solares illuminantes diuersa obiecta, sint in se idem, si colores eorum obiectorum non essent ab his radijs distincti, etiam essent in omnibus subiectis iidem colores, quod repugnat manifestæ experientie.

Secundò reiciuntur, quia si color, albedo v. g. papyri, non distingueretur à luce, esset impossibile, ut cum quacumque luce semper appareret albedo. Confirmatur à contrario, quia color Iridis non est distinctus à luce, sed est ipsa lux Solis secundum diuersum aspectum, ideo non est fixus & permanens, sed versatilis, ut patet etiam in columbæ collo, item & in triangulari crystallo, vulgò *utrum Philosophicum*; ergo colores, qui 42 semper fixi & stabiles sunt, sunt veri colores & à luce distincti, licet pendeant ab illâ, ut videntur. quare nego argumento aduersariorum luce deficiente colores deficere; solum enim deficiunt species quibus videntur. Consule Conimbricenses suprà quæst. 2.

Organum visus est humor quidam crystallinus, in quo, quia ob perspicuitatem & locum, quem habet in medio aliorum humorum, aptissimus est, fit visio, ideoque lasso eo humore visus

43 fus lăditur statim. De his & similibus quæstionibus, quæ plus voluptatis quàm vilitatis habent, rectè Conimbricenses suprà, & in Problematis quæ sunt ad finem Tomi de Animâ. Non possum autem non hic obseruare, rationem illam communem, scilicet ideò pupillam esse crystallinam, ne si haberet in se aliquem colorem; omnia obiecta reputaret habere eum colorem; hanc inquam rationem esse absolūtè malam: nam tactus etiam si calidus sit, manus v. g. non propterea, si tangat rem frigidam, eam reputat calidam; nec quia sit dura, si tangat rem mollem, eam reputat duram; ergo ea ratio in visu non est formalis. Melius ergo posset dici, ideò non habere colorem, quia omnis color habet opacitatem, & consequenter impediret, ne species aliæ, quæ non transeunt nisi per corpora diaphana, intrarent pupillam.

SUBSECTIO TERTIA.

De Auditû.

44 POST visum sequitur auditus: eius obiectum est sonus, resultans ex compressione aëris ob corporum collisionem; medium, per quod sonus emittit species sui, non est solus aër, sed etiam alia corpora densa, iuxta dicta suprà Disputatione i v. dum egî de speciebus soni. Huius sensus organum continetur intra aures, communiterque docetur, esse materiam quandam adeò subtili, ut licet animata sit (alioquin in eâ non posset fieri auditio) aër dicatur non propriè, sed metaphoricè & translatiue. De hoc organo nihil nisi ex anatomia dicere possumus. Videantur Conimbricenses suprà. Circa aquam putant nonnulli recentiores, eam esse incapacem non solum soni, sed & specierum à sono productarum, ita, ut cum primum species soni veniunt ad aquam, statim pereant. Hanc probant ratione à priori, quia ob defectum duritiæ non potest eas recipere; quò enim corpora sunt duriora, eò melius refringunt sonos. Hæc ratio nullius est momenti, nam aër, qui est multò minùs durus quàm aqua, non solum est capax specierum soni, sed est insentientiâ horum, vnicum subiectum, in quo primò producitur sonus. Secundò mouentur, quia si homo caput intra aquam ponat, nihil audit, ergo signum est aquam non esse capacem specierum. Hoc argumentum non vrget: nam posito quòd non audiat, tunc potest quis id non in defectum specierum, sed quia aqua intrans vsque ad locum vbi sit sensatio, suâ vel frigiditate vel applicatione impedit potentiam à sensatione, quasi inde pellendo spiritus necessarios ad sentiendum; vel, quod probabilius est, & expertus sum imponendoynam aures aquæ, quia eo ipso fit intra aures quidam quasi strepitus, quem aliquando homo solet sentire quando nihil audit, illud enim internum murmur prorsus impedit auditionem; imò & hos teneri reddere hanc solutionem, paulò post ex ipsiusmet ostendam.

Contrarium ergo omnino puto verum, scilicet, aquam posse recipere species soni, quod probatur multis experienciis. Primò, quia aliquando in fluminibus percipitur sonus, quem aqua interius pellendo aliquos lapillos excitare solet, ergo species soni possunt excipi in aquâ. Huic

experientiæ respondent aduersarij, tunc per poros aquæ, vbi est aër, prodire foras eas species. Mirandi sunt hi Auctores cum istis poris, quando ad rarefactionem in aquâ calidâ, vbi tam manifestè ipsis etiam oculis videntur (ut alibi ostendi) nos eis vimur, exclamant, eos poros esse planè Chimaricos, & vix eorum Auctores non anathematizant. Iam autem eos in eâ aquâ, ut fugiant difficultatem, sine necessitate adstruunt, eos autem quoad punctum præsens facillè reicio. Nam licet sæpè in corporibus inueniantur tales pori, & in eâ aquâ sint (hoc his Auctoribus concedo) non tamen facillè ita occurrunt, ut tales pori contigui per totum corpus, in quo sunt versus partem interiorem, sed post duos aut tres sequitur pars alia solida. Iam ergo hoc supposito, sic arguuntur: Si ex illâ profunditate interiori ad superficiem superficiem aquæ non sit aliquis ordo pororum contiguatorum (quod, ut dixi, vix probabiliter potest affirmari) repugnat, venire species illas sursum, nisi excipiantur seu penetrantur cum aliquâ parte aquæ; ergo dicendum est, eas ibi recipi, & aquam non esse omnino incapacem earum specierum. Idem Secundo clarius ostendo, quia si isti in eâ aquâ solum in fundo parum motû admittunt intrare aërem, vel poros istos, quomodo etiam illos non admittunt, quando homo in aquam immergit caput, ut saltem per illos possit homo audire sonum? Numquid est aqua magis densa, quia homo immergat caput, quàm quando suo naturali cursu fluat torrens? Hinc videbis, quod suprà notavi, hos Auctores ratione & consequentiâ desertis, ponere & negare istos poros, solum quando, ut hic & nunc euadant vim argumenti, eis videntur necessarij.

Tertiò tandem ostendo, eam solutionem hic non posse applicari: nam certissimum est, quando fluuius est congelatus totus in superiori parte, & quando non sunt pori ad quos hi fugiant (nam ea glacies vix villos habet) etiam tunc sentiri, si applicetur auris, aquæ fluxum, nisi glacies sit valde crassa. vnde de vulpe narratur, non priùs supra glaciem incedere, quàm applicatis auribus non sentiat strepitum. Et quidquid sit de vulpe, ab hominibus certum est audiri talem cursum aquæ; per quos ergo poros glaciei transit ille sonus, si glacies nullos habet? ergo dicendum, posse in aquâ recipi species soni.

Secunda experientia, quæ probatur, aquam posse recipere species soni, est, quia pisces audiunt voces hominum, strepitus tormentorum, vnde experientiâ traditur comprobatur, fugari pisces à loco, vbi frequenter tormenta magna exploduntur. Huic respondent aduersarij, ideò fugari pisces, quia vident ignem vel fumum, vel quia terra tremat. Sed in hac solutione valde diuinant, Primò, quia fumus non potest magis fugare aut terrere pisces, quàm obscuritas noctis, aut nubes aliqua densa: ignis autem non tam procul exit extra tormentum ut à piscibus videri possit. Quod de terræ motu additur, magis est improbabile; tum quia fluctus maris non magis agitantur explosione tormentorum, quàm vi ventis non fugantur pisces, ergo multò minùs fugabuntur agitatione fluuium à tormentis, quæ est planè imperceptibilis; ergo id reducendum

dum est in auditum ictus tormenti, qui per se etiam terret animosos homines; audiunt ergo pisces. Melius potuissent hic respondere, per illos poros; & miror quod hic eorum fuerint obli- ti. Ergo aqua est capax specierum soni.

Addiderim, mihi esse probabile valde, non solum species soni posse recipi, sed & primo formari sonum ipsam in aqua. Moueor ea experientia aqua in fundo, quia in aliquibus torrentibus, & infra glaciem fit sonus. Nec est probabile, tantum esse ibi aeris, ut in illo possit formari sonus, & non potius in aqua: nec video cur sonus non possit nisi in solo aere formari, & non etiam in aliis corporibus. quando enim frangitur vas, aut aliquid aliud corpus durum, excitat magnum strepitum, & vix est explicabile, quomodo tunc aer comprimitur aut collidatur, ut ex ea collisione solum refulet sonus. Ergo dicendum est, immediate ex illa collisione in ipsis corporibus posse produci. Et certe in aqua, quae similior est aeri, sine dubio poterit. Sonum non percipi a longe eo instanti quo fit, saepe supra dixi & ostendi: nunc aduerto, nonnullos id negantes, huic experientia de auditione tarda a longe respondere, tunc fieri sonum, cum primo auditur; sed quia per motum localem produci- tur, qui motus non fit in instanti, audiri tardiùs. Hæc solutio parum valet: nam qui sunt vicini- res, audierunt citius sonum, ergo iam fuit pro- ductus, antequam audiretur a distantioribus. Nec potest etiam dici, produci secundum sonum a primo. Si enim id ita esset, illi qui sunt vicini, audirent secundum sonum, quod est contra experientiam. Deinde, ipsimet Auctores, contra quos hic arguo, fatentur, sonum a sono non produci, sed sonum a repercussione, & a sono species. Tandem, si sonus illum secundum sonum produceret, cum non in instanti id faceret, sed post morulam aliquam, rediret eadem difficultas quæ de speciebus, cur scilicet in instanti non producantur, cum careant contrario, de quo satis fusè egi supra, ubi hæc omnia explicui.

SYBSECTIO QVARTA.

De Olfactu.

TERTIUM locum obtinet olfactus, cuius obiectum est odor. Dubitatur in præsentia, utrum odor sit substantia exhalata, an qualitas a substantia producta. Nonnulli apud Conimbricenses supra quæst. 1. cap. 9. affirmant, esse substantiam exhalatam; Primò, quia odor nutrit & sustentat; sed hoc non potest ab accidenti præstari, ergo odor est substantia exhalata. Maior probatur auctoritate Plinij & aliorum, asserentium, quosdam Indos solo vivere odore ex floribus & pomis capto. Respondent rectè Conimbricenses, auctoritatem Plinij non esse infallibilis veritatis, unde negant eam historiam de Indis. Secundo alij mouentur, quia boni odores confortant caput & cor, mali verò lædunt, ergo sunt substantia. Nego consequentiam, quia calore temperato fouentur membra, & nimio læduntur; calor autem non est substantia, ergo quia odor confortat caput, non inferitur, eum esse substantiam. ratio a priori, quia qualitates seipsas possunt esse con- formes aut diffformes animal. Tertiò mouentur,

quia res odorifera assiduâ odorum exhalatione absumuntur, ergo, quia odor est substantia exhalatio. Respondeo, aliquas res odoriferas absumi non ob productionem odoris, sed quia sunt iuxta ignem vel Solem, ipsæque sunt aquæ, id- eoque exhalantur: quo modo expirant liquores & absumuntur, etiam si careant odore ut aqua; alia verò corpora quantumvis producant odo- rem, non exhalant, nec absumuntur, ut coria electo referta; quantumvis enim totum aërem replerent odore, non ideo manent minora quàm antea.

Contraria ergo sententia communis inter Philosophos, scilicet odorem esse qualitatem pro- ductam a substantia odoriferâ, tenenda est. Hanc probant Conimbricenses, quia, si odor esset substantia, non posset per sensum percipi (sensus enim percipit solum accidentia) sed non fido huic rationi: quia, ut probetur sensum non percipere nisi accidentia, prius probandum est, obiecta omnium sensum esse accidentia. Quod si non probatur, nec potest probari; sensum non percipere nisi accidentia, ergo non est proban- dum, odorem esse accedens quia olfactus non percipit nisi accidentia, sed potius è contrario ex eo quod odor sit accedens, debet probari olfac- tum non percipere nisi accidentia.

Melius ergo poterit ea sententia suaderi, quia si quis in manu v. g. rem aliquam valde odorife- ram diu retineat, scilicet poma aurea, electrum; & his similia, diu postea retinet odorem, non au- tem quia in manu ferat aliquam substantiam de nouo, ut per se patet. Licet enim manum abster- gat, & aërem illi coniunctum mutet in alium, adhuc retinet odorem. Tunc autem non potest ibi retinere substantiam aliquam exhalatam, ergo solum retinet odorem productum in propria manu. cum enim sit accedens ut ibi producat, non eget expulsionem substantie præcedentis. De- inde, quando totum templum odore impletur, vel totus aer cubiculi, eo quod fuerit ibi ele- ctum, v. g. incredibile omnino est, ex eo electo tantam fuisse substantiam exhalatam, ut pauerit totum aërem occupare, præsertim cum electrum maneat postea tam integrum ac antea; ergo odor non est substantia exhalatio, sed qualitas ab ea substantia producta.

Resultat odor ex primarum qualitatum con- cretione, prædominante calore, qui semper au- get odorem; frigus verò è contrario illum impe- dit. Odorem sine speciebus productis per seip- sum concurrere cum potentia ad cognitionem, dictum est supra, quod non oportet in præsentia repetere.

De organo olfactus controuertunt latè Conim- bricenses supra cap. 9. quæst. 4. tandemque defi- niunt, illud esse duas tuberculas in figuram mam- illæ, quæ ideo *tubercula mamillares* dicuntur, residentque in superiori parte nasi iuxta cere- brum. Ante has dicunt esse os quoddam biparti- tum, habens aliqua foramina minora in cribri fi- guram, per quæ ingreditur odor: sed quia, ut ait Aristoteles, in animalibus respirantibus os illud reclusum est quodam tenui operculo, oportuit ut ad sentiendum odorem daretur respiratio, quæ eleuaretur operculum, & pateret aditus odori.

Ab aliquibus animantibus maximè excedi ho- mines in perspicacitate huius sensus, experientiâ com-

compertum est: canes enim venatici à longè sentiunt lepores, & vultures cadauera, quæ homo, nisi proximus sit illis, non olfacit. Vtrum autem bruta bonis odoribus delectentur, & in malis displiceant, dixi Disputatione præteritâ, agens de speciebus insensatis, vbi responsum affirmatiuum pro omnibus sensibus in ordine ad sua obiecta statuimus.

Huic sensui tertius locus dignitate tribuitur à Conimbricensibus, quia sentit res distantes, necessitate verò vltimus. Hac secunda pars vera, item & prima: sed non eius probatio in nostris principiis, asserentibus, solum odorem existentem iuxta olfactum percipi, sicut per tactum solum percipitur calor contiguus manui. Quod autem odor è longinquo veniat, nihil efficit: nam etiam calor qui per tactum percipitur, potest è longinquo venire. Melius ergo poterit probari maior olfactus perfectio, Primum ex minori læsione, quam percipit ex suis obiectis: magis enim læditur tactus nimio calore, puta ignis, quam olfactus odore, quantumvis malo; ergo, quia perfectius & accedendo magis ad modum cognoscendi spirituales percipit olfactus sua obiecta. Item probatur idem ex maiori differentiâ odorum. Denique, quia odor nobilior qualitas est, quam calor & sapor, quod probabiliter cuilibet appareat. Dico *probabiliter*, quia (vt supra ad aliud propositum notavi) est valde difficile determinare, quid sit perfectius accidens aut substantia. certè homines obiecta tactus & gustus non ita apprehendunt digna cælo, sicut obiecta auditus, & olfactus, concentus, suaves odores, &c.

Docent hic aliqui, eos, qui latiores habent nares, & maiorem olfactum, non laborare doloribus capitis, & maiori ingenio pollere. De ingenio nihil dico, vellem vt ita esset in m; sed de doloribus capitis, semper fui illo valde vexatus, etiam vt cumque apertas narium fenestras habeam. Ratio tamen, quâ hi Auctores mouentur, non displicet, quia facilius purgatur caput; sed nulla regula sine exceptione.

SVBSECTIO QVINTA.

De Gustu & Tactu.

QVARTO loco succedit gustus, cuius obiectum est sapor: organum illius est tota lingua, & præcipue in cuspide. Est autem in præsentia difficultas, vtrum gustus sit quidam tactus, an verò sensus ab eo diuersus. Communis sententia merito docet, eos esse distinctos. Quod probatur facile, Primò, quia in lingua potest deficere gustus, quin deficiat tactus. Item in aliis partibus corporis datur tactus, & tamen, quantumvis illi applicentur cibi & sapor, non eos gustabunt, neque tactu percipient, ergo gustus & tactus sunt sensus omnino diuersi. Secundò idem à priori probatur ex obiectorum diuersitate: etenim tactu percipiuntur quatuor primæ qualitates, calor, frigus, &c. item mollities & durities; gustu autem solum percipiuntur sapores, qui sunt qualitates diuersæ à primis.

Aduerte Primò, licet non, vbicumque est tactus, detur gustus, è contrario tamen, vbicumque datur gustus, dari tactum; hic enim dispersus est

per totum corpus: vnde lingua non solum gustat saporem, sed etiam tangit calorem, humorem, imò aliquando lingua solum tangit, non gustat propriè aquam v. g. Si hæc careat omni sapore, & hinc paulò antè confirmaui, eos sensus esse diuersos.

Aduerte Secundò, quia, vt lingua gustet cibum, requiritur eum esse illi coniunctum, idè vulgariter vocari tactum, sicut etiam dicimus, lapides tangi inter se, non quia per tactum inuicem cognoscantur, sed quia à proximi sunt. Ita similiter sapor potest dici tangere linguam, quia illi approximatus est, non verò quia per sensum tactus percipiatur. Suprà dixi, saporem non requirere species sui, vt cognoscatur, quia approximatus est sufficienter, vt scilicet possit sine speciebus concurrere, aliunde autem non est vlla ratio, cur illi negemus talem concursum.

Vltimo loco accedit tactus, qui omnium maximè necessarius est ad animalis vitam tuendam, & noxia declinanda; per ipsum enim sentitur læsio, quâ primarum qualitarum temperamentum, quod maximè vitam continet, dissoluitur. Eius organum sunt caro & nervi; in illis enim experientia compertum est dolorem sentiri, & consequenter ibi esse tactum: ossa autem, quia duriora & sicciora, inepta sunt tactui. vnde licet dentes lima aut ferrâ diuidantur, & licet igne crementur, dum lima & calor ad neruum carnemve non accedat, nullus sentitur dolor. Et hinc fit, homines durioris carnis minus sentire dolores, plus verò è contrario qui molliores sunt & humidiores. Dispersum est organum huius sensus per totum corpus, vt possit discernere læsionem temperamentum in quacumque parte corporis sit.

In hac potentia sensitiuâ excellit homo reliqua animantia, quia perfectius sentit dolores, qualitates sibi dissonas, quam reliqua. Et hinc probat Aristoteles, hominem perfectius per sensum cognoscere, imò inter ipsos homines eum, qui mollioris carnis est, docet aptiorem esse ad intelligendum quam qui durioris; quod experientia compertum est. Excipiuntur tamen ab hac regula femina, quarum mollities non est aptior ad intelligendum, est enim ex aqueo & pituito, vt in phlegmaticis; mollities autem apta ad discernendum est aërea, quæ idè iuuat, quia dispergit soluitque inutilia excrementa, quibus pulvis, spiritus, quos sanguine incalcescente cor exhalat, subtiliores redduntur, vnde & phantasmata puriora defæcatoriæque euadunt.

Obiectum tactus sunt (vt dixi) quatuor primæ qualitates, durities & mollities, non solum quæ in manu tangente existunt, sed etiam quæ in re tactâ, iuxta dictâ Disputatione præcedenti: vbi etiam probauimus, in hoc sensu non esse admittendas species, sed ipsum obiectum per se immediate ad sensationem concurrere.

Rogabis, vtrum sensus percipiant suas operationes. Ratio dubitandi est, quia visus v. g. dicitur cognoscere tenebras, & auditus silentium, non alia ratione, nisi quia cognoscunt se tunc in otio esse, ergo quia cognoscunt carentiam sui actus, & consequenter suos actus. Contraria sententia communior & verior est, quæ probatur à Conimbricensibus, quia actus non sunt lux nec color; sed obiectum ad quod visus est lux & color, ergo actus non videntur ab ipsis potentis.

Hoc

Hoc argumentum infirmum est, quia aduersarij negabunt, solum lucem & colorem esse obiectum visum: tam difficile autem ea propositio suadebitur, quam potentiam visivam non reflectere supra suos actus. Aliter ergo posset hoc ipsum probari, quia si potentia exteriores essent reflexivae supra suos actus, quotiescumq; haberent actum, reflecterent se supra ipsum, quia tunc haberent principia requisita ad eum cognoscendum; & cum aliunde sint potentia necessaria, semper eos cognoscerent, cuius contrarium experimur quotidie. Neque haec ratio premit: nam intellectus est reflexivus supra suos actus, & etiam potentia necessaria, & tamen non ideo, quando eumque intelligit, reflectit necessariò supra illos. Melius ergo poterit id suaderi, quia nullus unquam potuit notare tactum reflectere supra suum tactum, aut visum videre suam visionem, etsi vellet, ergo externa potentia non possunt supra suos actus reflectere, ergo reflexio non fit à sensibus.

Ad oppositum argumentum facile respondeo, visum non percipere tenebras propriè: dicitur autem eas percipere, quatenus ex eo, quod nihil videat, infert intellectus, ibi non esse lucem.

66 Sed virgebis: Brutum agnoscit vmbra hominis, & ab illa terretur; ergo, vel quia cognoscit ipsam carentiam lucis, quod repugnat bruto, vel quia reflectit supra suos actus, & supra illorum carentiam. Respondeo, brutum videre vmbra, nihil esse aliud, quam videre lucem in vna parte, & illam non videre in alia, in quo nulla includitur reflexio neque supra actum, neque supra eius carentiam, sicut enim, vt videat hominem ipsum, sufficit quod videat eius figuram secundum entitatem positivam quam dicit, & non videat alias partes redundantes, quantumvis non reflectatur supra suam cognitionem; ita etiam idem sufficit vt cognoscat vmbra. Verum autem sensus internus se reflectat supra suos actus, dicam statim, vbi clariùs soluetur hoc argumentum.

SECTIO IV.

De alijs Potentijs materialibus.

67 ULTRA has quinque externas potentias dari etiam alias internas materiales, facile suadet. Et quidem Primò dari alium sensum communem interiorum, percipientem obiecta aliorum sensuum, probatur, quia brutum recordatur obiecti visi, vocis auditæ, doloris recepti, vt experientià compertum est (canis enim & domum & domini vocem agnoscit, recordatur à quo fuerit vulneratus, &c. Iamque hæc cognitio non fit à sensibus externis, qui non retinent species obiectorum præteritorum, alioquin etiam in absentia illorum possent operari; ergo fit à sensu alio distincto. Probat deinde: canis dormiens, quando nullam sensus externi operationem exercet, cogitat de obiectis in die visis, ideoque & dormiens latrare solet, vt passim experientia docet; ergo habet alium sensum ab his quinque distinctum. Illum autem communem esse, probatur, quia percipit omnia obiecta aliorum sensuum, recordatur enim obiecti, & visi, & auditæ, &c.

68 Aliqui Auctores non contenti hoc sensu, alios quatuor addiderunt, inter quos distribuunt varias operationes quas in nobis experimur. Primum

dicunt *sensum communem*, & huic tribuunt perceptionem obiectorum aliorum sensuum. Secundum dicunt *imaginativam*, quam faciunt conservatricem specierum sensui communi deferuentium. Tertium *estimativam*, quam dicunt cognoscere obiecta insensata. Quartum *phantasiam*, & hanc fingere fingunt monstra & Chimaras, coniungendo species rerum impossibilium, vt hirci, & cerui, montis aurei, &c. Quintum *memoriam*, cuius dicunt esse proprium, recordari obiectorum prius cognitorum. Alij Auctores eos sensus redigunt ad quatuor, alij ad tres, ad duos alij, alij denique ad vnum, vt nulla sit sententia sine patrono.

PRIMA CONCLUSIO. Licet de huiusmodi operationibus internis, vnicus tamen est sensus principium omnium illarum. Probat: non sunt multiplicandæ entitates & potentia sine vlla necessitate; atqui in præsentia nulla prorsus est, ad ponendos hos distinctos sensus aut potentias, ergo. Probat Minor, quia si quæ esset, maximè varietas operationum; sed omnes hæc possunt ab eadem potentia oriri, vt patet in intellectu, qui cum vnicus sit, habet tamen easdem operationes retinendi memorià, fingendi, percipiendi, &c. Confirmatur, & declaratur argumentum: potentia habens virtutem ad cognoscenda obiecta absentia, habet virtutem ad illa, etiam quando sunt præsentia, & quando habet intensas species de illis; ergo eadem phantasia erit imaginatrix & conservatrix; item ea potentia, quæ possibilia coniungit impossibilitè, debet necessariò ea possibilia cognoscere seorsim, ergo eadem exercebit quartum illud munus.

Dices Primò: Ad recipienda facile obiecta requiritur humiditas, ad ea conservanda siccitas, ergo sunt diuersæ potentia, perceptiva & conservativa. Hoc argumentum videtur probari, in diuersa parte corporis fieri cognitionem internam de obiecto præsentia, ab eâ quæ de absentia, quia in eadem nequit esse intensa siccitas & intensus humor, qui requiritur ad eas operationes: ponere autem in diuersis partibus eas cognitiones, per se videtur falsum. Igitur respondeo, argumento non probari, sensus esse diuersos, sed dispositiones ad aliquos actus illius sensus esse diuersas à dispositionibus requisitis ad alios actus eiusdem potentia. Adde, multos homines facile percipere, & diu retinere, ergo potest esse eadem dispositio vtrique operationi apta. Ex his soluitur aliud Galeni argumentum, contententis probare eam distinctionem sensuum, ex eo quod homo lædatur in ordine ad vnam operationem, non ad aliam. Sed hoc, vt dixi, non probat diuersitatem sensuum, sed diuersitatem dispositionum ad diuersas operationes eiusdem sensus requisitarum.

Denique, quod non deat potentia coniungens species v. g. montis aurei, patet, quia vel id non præstatur à potentia materiali, vel si præstatur, sufficit ea quæ percipit obiecta omnium sensationum. solum ergo dabitur vnica potentia interior materialis cognoscitiva.

SECTIO V.

An sensus internus percipiat negationes.

72 **E**ST autem non levis difficultas, an sensus internus reflectatur supra suos actus. Ratio dubitandi est, quia bruta terrentur umbrâ animalis, vident ubi sunt portæ, fenestras, vacuitates, &c. percipiunt figuram vasis, statuas, lapidis, &c. quæ figura, ut alibi dixi, dicit necessariò carentiam superfluarum partium. Hanc quæstionem vno verbo expediunt Auctores, est tamen magis difficilis quam ipsi putent. Quidam ergo dicunt, bruta terrentur humanâ umbrâ, quia per speciem nigredinis apprehendunt ibi hominem. Sed hæc solutio nihil dicit: rogo enim, Quomodo per speciem nigredinis concipiunt umbram? an quia putant illam esse nigredinem; & tunc facient rigorosissimam entia rationis, quod ab his Auctoribus negatur; concipiunt enim, tenebras esse nigredinem, quod est formalissimè facere ens rationis, præterquam quod iam concipiunt tenebras. Sed quidquid de hoc sit, rogo, Quomodo illæ species de nigredine excitantur? Ab ipsâ umbrâ non possunt, quia hæc est purum nihil, purum autem nihil non habet virtutem quidquam excitandi. Præterea nec excitantur eò quod brutum immediatè percipiat umbram: si enim hoc esset, iam concederetur illis virtus cognoscendi immediatè carentias, quod ego fortè intendo, & negatur ab his. Præterea non possunt umbram percipere, eò quod percipiant se ibi non videre tantam lucem aut albedinem, &c. nam ab his negatur brutis virtus supra suos actus reflectendi: non possunt autem notare se non videre, si supra visionem suam non reflectant; quomodo ergo ibi percipiunt umbram etiam per species coloris nigri?

Secundò principaliter impugno responsionem: tegatur murus panno nigro vsque ad ipsam terram, non tentabit canis egredi per illum pannum; sit autem in medio porta aliqua vel foramen, etiamsi post foramen illud nihil videatur, statim canis rectâ, non verò casu feretur ad foramen, & inde egredietur; ergo foramen seu porta illa, quæ in carentiâ muti aut alterius corporis abitum impediens consistit, non percipitur à cane tamquam quid nigrum, nam canis non conatur transire per corpus solidum, etiam nigrum.

74 Quæ de portâ dixi, etiam intelligenda sunt de umbrâ & aliis carentiis. Confirmatur & declaratur: virsus volens in hominem proicere lapides, percipit eorum magnitudinem (non enim tentat quemcumque lapidem apprehendere, sed eos paruos, quos pes potest apprehendere) ergo percipit magnitudinem & paruitatem lapidum; sed hæc paruitas dicit carentiam, ergo illam percipit. Nec tunc potest ad colorem nigrum recurrere.

Fortè dices, tunc percipere res quæ sunt paruas, non verò paruitatem. Contrâ, quia illæ res quæ sunt paruas, ob paruitatem formalissimè ei sunt viles: si enim illæ res, quæ materialiter sunt paruas, manerent tamen sine paruitate quia fuissent vnite inter se, ut possunt, iam non essent viles virso, nec ab eo appeterentur; ergo non appetit solam posituiam eorum lapidum entitatem, sed sub hac quasi circumstantiâ, quod exigui sint, & apti

ut teneantur sedere. Quod de virso dico, dici potest de aliis animantibus: non enim parvus canis contra multo maiores insurgit, sed solum contra paruulos & minores, ergo nouerunt carentiam formaliter, vnde cumque id proueniat, imò & videntur secum facere comparationem, & notare, illum esse se maiorem, hunc verò minorem.

Secundò posset responderi, bruta cognoscere per sensum internum carentias. Sed tunc rogo, Vnde ille sensus accipit eas species? nam externi non eas percipiunt, ergo internus non poterit habere species pro illis, accipit enim semper species à sensibus externis. Video, Aristotelem dixisse aliquando, visum pro obiecto habere lucem, & non lucem; colorem, & non colorem. Sed hoc communiter reicitur, & merito: non enim vident oculi, quando sunt in tenebris, quod principium omni homini est à naturâ insitum.

Tertiò respondebit aliquis, brutum se reflectere per sensum internum supra suos actus, ideoque, quia videt ibi lucem, & alibi non videt, nescit ibi non esse obiectum, & hoc modo percipere negationes, potestque hæc doctrina non leuiter confirmari. Nam actus illi externi, sicut mittunt species de suis obiectis ad sensum internum communem, cur etiam non mittunt species de seipsis? aut cur excluduntur illi actus ab obiecto proportionato sensui communis? Confirmatur: bruta sentiunt & percipiunt dolorem formaliter: atqui dolor formaliter est actus percipiendi qualitatem contrariam; ergo sensus interior percipit actus exteriorum potentiatur. Duo vel tria faciunt mihi in hac solutione difficultatem. Vnum, inde sequi, posse bruta discurre: non enim immediatè percipiunt negationes, sed hoc quasi modo video colorem hunc, & ibi nihil video, ergo ibi nihil est; hoc autem illis concedere, est valde durum. Secundum mihi ingerit difficultatem, non solum hinc sequi, bruta percipere suos actus, sed etiam suam substantiam; dicunt enim, Ego non video, vel, Ego torqueor. Tertiò, quia non explicatur, quomodo brutum formet species negationum, ut dicat, Nihil ibi est, seu, Ibi est apertum.

Fateor, sustineri posse, quod ea responsio dicit, bruta scilicet percipere dolorem, & actus externos esse obiectum proportionatum sensui interni, & quod de dolore dixi supra, satis esse probabile; per hoc tamen adhuc non explicatur nostrum intentum de negationibus. Dico probabile: nam qui id negare voluerit, dicere poterit, non percipi à sensu communi dolorem formalem, sed obiectiui tantum, id est qualitatem contrariam.

Concludo quoad hoc vltimum punctum, mihi rem esse incertam, an percipiant suos actus externos; quidquid tamen de hoc sit, adhuc difficultatem virgere contra negationes, quomodo percipiantur.

Cui ego respondeo, ut in simili dixi in Phisicis Disputatione x. i. à num. 60. inquirens, an bruta operentur propter finem, in brutis dari species aliquas insensatas (quæ est sententia D. Thomæ, ut ibi ostendi) & re bene consideratâ non potest vlllo modo negari. Dico ergo, eo ipso quod cognoscant & videant obiectum aliquod externum, murum v.g. album, in quo sunt foramina, fenestras, &c. per sensum tantum percipere albedinem illam posituiam; Deum autem infundere illis

lis species, quibus forment aliquas apprehensiones negatiuas. Non est ibi color, Non est ibi Sol sub arbore, ad quam vmbra accurrunt, quando Sol eis nocet, hoc autem fit sine vilo discursu aut reflexione super se, aut suos actus. Moueor Primò ad hoc, quia non possumus vilo modo eis cognitionem de negationibus illis negare, aliunde autem non videtur iuxta supra dicta melior modus, quam iste sit, ergo. Confirmo: multi ex aduersariis etiam in ipso homine recurrunt ad Deum vt ad causam particularem, qui nostro intellectui infundat omnes species, eò quod ab obiectis non eas percipiat, cur ergo non poterimus etiam ad Deum equaliter recurrere pro speciebus brutorum? Certè etiam Deus est sollicitus vt bestiis ea suppediret, quibus pro vitâ tutandâ indigent, si ne cognitione autem hac vix possent pedem mouere. Præterea, sicut brutum habet apprehensionem affirmatiuam, Ibi est color, cur non poterit & habere negatiuam, Ibi non est color? Tandem in hac apprehensione non cognoscunt negationes propriæ, sed negant ibi colores, ideò semper de illis obiectum reale, solumque illis tribuo dissensus, quibus dirigitur eorum appetitus; quando autem necessariò etiam habeant cognitionem negationum, dicam statim. Ista autem species non excitantur in brutis, nisi quando alia positiua obiecta videntur: vnde in tenebris eas non habent, quia, vt illæ species excitentur, necessarium est, vt simul iuxta videatur obiectum aliud, & medium sit illuminatum. Hinc autem etiam facile intelligitur, quod obiciebatur supra, bruta facere comparationem sui cum aliis maioribus vel minoribus: respondeo enim, id fieri, eò quod bruta etiam vident suum corpus, & alienû, possuntve apprehendere. Hoc non est tantum, tam magnum est sicut istud; & hoc modo eligit vrsus lapides sibi aptiores; sed hoc fortè fieri potest sine comparatione tantum cognoscendo, Hic lapis non extenditur amplius.

7 Sed obicies: Quandoquidem brutis non das cognitionem negationum propriæ, sed dissensus tantum circa obiecta positiua, quid est necessarium illis dare nouas species? assensus enim & dissensus circa idem obiectum per easdem fit species. Respondeo, quidquid sit de assensu iudicatio propriæ, certè apprehensio negatiua in nobis non videtur fieri per easdem species, sed per diuersas, Petrus currit, Petrus non currit. quod si velis fieri per easdem, saltem debet aliquid assignari speciale, vnde determinetur intellectus ad eam apprehensionem negatiuam; hoc autem ego suo modo ponam in brutis.

Secundo obicies: Brutum videns foramen in muro, non solum dicit, Non est ibi albedo, si enim esset nigredo, vel alter color, non videret ibi foramen, neque intraret; ergo vel deberet dicere, Nullus color est ibi, & tunc habebit cognitionem vniuersalem omnium colorum in confuso, quod bruto repugnat; vel debet dicere, Nihil est ibi, & sic non habebit apprehensionem negatiuam, sed affirmatiuam, concipiendo negationem in se seu nihilum, quod à me negatum est supra; præterquam quod, qui dicit, Nihil est ibi, iam concipit omnia illa entia positiua, quæ negantur per illud nihil. Respondeo, quoad figuram & magnitudinem sufficere, si apprehendat vltra non extendi colorem illum, nec necessarium est de

aliis coloribus tunc cogitare. Sic etiam vmbra noscit apprehendendo eam lucem non amplius extendi, & videndo ex alterâ parte iterum lucem, vnde spatium intermedium apprehendit quasi hominem, excitatur enim illi tunc species hominis, aut alterius bruti antea visi. In foraminibus res est difficilior: dico tamen, si non videat vltius aliquem colorem aut lucem, necessariò dicendum, illud habere imperfectas apprehensiones negationum, & apprehendere, Nihil est ibi, eo modo quo id pueri apprehendunt, qui tamen non faciunt eam distinctionem quæ in obiectione ponebatur, Non est ibi album, nigrum, rubrum, homo, leo, &c. sed dicunt, Nihil est: hoc suo modo & bruta apprehendunt, ideò audacter intrant per illud foramen, & portam, &c. Neque video meliorem modum id explicandi, & hoc eodem modo bruta percipiunt suorum catulorum ex nido ablatorum carentiam, & de illâ dolent, &c.

SECTIO VI.

De sede sensus & appetitus.

EVm residere in cerebro, latè probat Galenus, quem Medici & recentiores Philosophi sequuntur contra Aristotelem, eum constituentem in corde. Probatur sententia Galeni vt verior Primò: quia aliquando contingit, extracto repente corde, hominem loqui, & explicare propositionem quam habebat in mente; vt de Hispano illo apud Indos oceiso supra retulimus ex P. Acosta, & in aliis historiis simile quid habetur; ergo cognitiones non fiunt in corde, sed in cerebro. Deinde, nimio studio caput dolet, non cor. Vltimus, homini læso circa has operationes cognoscitiuas, remedia in capite adhibentur, non in corde. Denique, quia ad cerebrum ducuntur nervi sensus, ex omnibus partibus corporis, non ad cor, vt testantur Anatomici; ergo quia sensus, ad quem omnes alie partes emittunt species, & ad quod deferuntur illi nervi, residet in cerebro, non in corde. Quæ argumenta ex Galeno fusiùs prosequitur Hurtadus Disputatione 17. de Animâ, sectione 9. Aristotelis autem argumenta vel partim ex modo loquendi desumuntur, vt quod homo insensatus dicatur *excors* vel *vecors*. Cui respondeo, etiam frequenter, si non frequentiùs, talem dici *sine cerebro*, iuxta illud, *Pulebrum caput, sed cerebrum non habet*. & communiter solet de his dici, habere caput vacuum; de pertinacibus, *durum caput*. Alia verò desumuntur ex eo, quod cor sit principium vitæ: sed aliud est, esse principium vitæ nutritiue, aliud, animalis & sensitiue.

Item arguunt: Quia cor tenet mediam sedem hominis. Sed quid inde? Caput tenet præcipuam. Vnde Principes numquam dicuntur cor Reipublicæ, sed caput; ergo ibi debent esse potentie cognoscentes & operantes.

Hunc sensum communem materiale dati etiam in homine, probatur à priori, quia in homine debet esse natura sensitiua integra, ergo & hic sensus pertinet ad integritatem eius naturæ. A posteriori probatur, quia nimio studio defatigatur homo, caput dolet, impeditur ciborum concoctio: sed, si solus intellectus tunc operaretur, id non fieret; nam sola operatio spiritalis intel-

ctus non potest ea damna causare, ergo quia operatur tunc alius sensus interior materialis, cui deserviunt spiritus vitales & animales, ratione quorum lædatur caput, & ex quorum defectu in stomacho impeditur concoctio; præterea humore lædatur aliquando intellectus, vt in amentibus, sed non immediate, cum sit spiritualis, ergo quia lædatur alia potentia materialis, ex cuius operatione pendet intellectus in suis operationibus.

- 86 Hic sensus communis in animalibus scetibilibus, v. g. in lacertâ, sparsus etiam est per totum corpus: cauda enim lacertæ abscissa si tangatur, mouetur, & fugit, ergo quia appetit motum, ergo est ibi appetitus, ergo & sensus communis, à quo solo cognoscitur determinatur appetitus.

Huius sensui communi correspondet alia potentia, quæ appetitus dicitur: quæ quia bonum apprehensum appetit, dicitur *concupiscibilis*; quæ verò malum apprehensum fugit, dicitur *irascibilis*, non quia duæ potentie sint realiter distinctæ, sed vnica vtamque exercens operationem.

Hanc etiam in homine esse, suadet Fides: hic enim appetitus est, quem Paulus dixit legem membrorum repugnantem legi mentis, quem Concilium Tridentinum definiuit in nobis dari, non tamen esse peccatum. Experientia etiam docet, inclinari nos ad malum etiam reluctante voluntate. Hic residet in cerebro, vbi & sensus, cuius cognitione determinatur formaliter: non enim bene poneretur in corde appetitus, & sensatio in cerebro, in quo minus consequenter locutus est Galenus; qui cum sensum ponat in capite, appetitum ponit in corde. non enim quia cor maiore conficiatur, idè ibi est appetitus, sufficit enim, si ibi sit actus doloris; nam ex alterationibus istis sanguis ad cor confluit, & grauat illud, idè à sensu tactus percipitur ibi calor sanguinis, & pondus quoddam, quæ perceptio est formaliter dolor; appetitus autem, qui est displicentia de illo dolore, datur solum in capite. Quod non bene distinguunt hic recentiores, confundentes dolorem cum displicentiâ; est enim dolor obiectum illius displicentiæ: vnde malè negant, dolorem esse in corpore; experientia enim ostendit, quando manus comburitur, ibi esse dolorem, licet caput odio habeat, & displiceat de eo dolore, in quo peccat Hurtadus supra Sectione vltimâ, licet ibi bene probet, appetitum esse in cerebro. Videatur ibi.

- 87 Obiicies cum aliquibus, Christum dixisse, de corde exire malas cogitationes, ergo hic appetitus residet in corde. Respondeo, nomine *cordis* in Scripturâ significari animam, neque ibi Christum egisse de appetitu materiali.

- 88 Obiicies Secundo, sæpè in Scripturâ præcipi, vt amemus Deum ex toto corde, ergo ibi est appetitus. Respondeo, etiam ibi dici, & *totis visceribus*, ergo etiam in ventre erit appetitus; ea igitur verba solum denotant vehementem affectum à nobis adhibendum, vt Deum amemus.

Tertio obiicies, ex his affectibus cor sæpè malè affici. Iam paulò antè explicui huius causam: nunc addo, si ea esset bona illatio, ad probandum

appetitus sedem, etiam quia metus corripit aliquando ventrem, dicendum esset, metum in ventre residere, quod est ridiculum.

Nonnulli hic, secuti Scotum, conantur probare, cuilibet sensui externo suum respondere proprium appetitum. Probant Primò, quia in parte, vbi sit sensatio externa, est dolor & voluptas, qui sunt actus appetitus. Secundo, quia ad quamcumque apprehensionem boni sequitur appetitus illius, ergo apprehensiones externas distinctas à sensu communi debet sequi appetitus distinctus à communi.

Contraria sententia verior est & communior, probaturque, quia sine necessitate non sunt multiplicandæ tot potentie; sed in præsentia nulla est necessitas, sensus enim externi sunt quasi nuntij sensus interni, vnde contenti sunt præcisè, si appetitus communis amplectatur bonum apprehensum ab ipsis, & delatum ad sensum internum per species missas ab ipsis: nec necessarium est, vt ad omnem potentiam cognoscitiuam immediatè sequatur appetitus, præterum iuxta dicta à nobis eâ Disputatione 11. in fine, posse scilicet dari principium cognoscens, & nullo modo appetens; quo corrumpitur secundum horum argumentum.

Replicabis: Non sufficit in homine vna voluntas, ad quam remotè pertineat dolere aut complacere de obiectis sensuum externorum, sed requiritur appetitus materialis, ergo nec sufficit hic pro sensibus, sed requiritur proprius appetitus cuilibet sensui inhaerens. Hæc replica non viget; quia appetitum illum distinctum à voluntate non ponimus ex eo, quod voluntas non sufficeret, sed quia experientia nos docet illum dari (vt supra dixi) præterea voluntas, quia spiritualis non videbatur proportionata sensibus; at nulla experientia docet, dari tales particulares appetitus, & aliunde appetitus communis proportionatus est sensibus, quia est materialis sicut ille; ergo ille sufficit.

Ad primum horum argumentum respondeo, voluptatem non consistere in actu voluntatis aut appetitus, quo quis complacet in obiecto bono; neque dolorem è contrario consistere in displicentiâ de obiecto dissono, sed & voluptatem & dolorem consistere in cognitione obiecti conuenientis vel disconuenientis: voluptas enim est perceptio rei gratæ, dolor est perceptio rei contrariæ. Idè communis Theologorum sententia docet, summam beatitudinem in solâ intuitiua cognitione Dei consistere, & per illam hominem formaliter habere summam voluptatem, etiam si non sequatur actus voluntatis: sicut è contrario damnatus per solam cognitionem obiecti sui maximè disconuenientium & inhaerentium, torquetur formaliter, non per actum voluntatis; hic enim displicet in torturâ, quæ est obiectum displicentiæ, non displicentia ipsa. Ergo licet in manu non detur appetitus, seu displicentia de summo calore, vel de scissione, quia tamen ibi datur sensatio caloris disconuenientis, ibi erit propriè dolor; ergo quia ibi sentitur dolor, non est ibi ponendus appetitus distinctus à communi residente in cerebro.

SECTIO V.

An sensus internus percipiat negationes.

72 **E**ST autem non levis difficultas, an sensus internus reflectatur supra suos actus. Ratio dubitandi est, quia bruta terrentur umbrâ animalis, vident ubi sunt portæ, fenestras, vacuitates, &c. percipiunt figuram vasis, statuas, lapidis, &c. quæ figura, ut alibi dixi, dicit necessariò carentiam superfluarum partium. Hanc questionem vno verbo expediunt Auctores, est tamen magis difficilis quam ipsi putent. Quidam ergo dicunt, bruta terrentur humanâ umbrâ, quia per speciem nigredinis apprehendunt ibi hominem. Sed hæc solutio nihil dicit: rogo enim, Quomodo per speciem nigredinis concipiunt umbram? an quia putant illam esse nigredinem; & tunc facient rigorosissimam entia rationis, quod ab his Auctoribus negatur; concipiunt enim, tenebras esse nigredinem, quod est formalissimè facere ens rationis, præterquam quod iam concipiunt tenebras. Sed quidquid de hoc sit, rogo, Quomodo illæ species de nigredine excitantur? Ab ipsâ umbrâ non possunt, quia hæc est purum nihil, purum autem nihil non habet virtutem quidquam excitandi. Præterea nec excitantur eò quod brutum immediatè percipiat umbram: si enim hoc esset, iam concederetur illis virtus cognoscendi immediatè carentias, quod ego fortè intendo, & negatur ab his. Præterea non possunt umbram percipere, eò quod percipiant se ibi non videre tantam lucem aut albedinem, &c. nam ab his negatur brutis virtus supra suos actus reflectendi: non possunt autem notare se non videre, si supra visionem suam non reflectant; quomodo ergo ibi percipiunt umbram etiam per species coloris nigri?

Secundò principaliter impugno responsionem: tegatur murus panno nigro vsque ad ipsam terram, non tentabit canis egredi per illum pannum; sit autem in medio porta aliqua vel foramen, etiamsi post foramen illud nihil videatur, statim canis rectâ, non verò casu feretur ad foramen, & inde egredietur; ergo foramen seu porta illa, quæ in carentiâ muti aut alterius corporis abitum impediens consistit, non percipitur à cane tamquam quid nigrum, nam canis non conatur transire per corpus solidum, etiam nigrum.

74 Quæ de portâ dixi, etiam intelligenda sunt de umbrâ & aliis carentiis. Confirmatur & declaratur: virsus volens in hominem proicere lapides, percipit eorum magnitudinem (non enim tentat quemcumque lapidem apprehendere, sed eos paruos, quos pes potest apprehendere) ergo percipit magnitudinem & paruitatem lapidum; sed hæc paruitas dicit carentiam, ergo illam percipit. Nec tunc potest ad colorem nigrum recurrere.

Fortè dices, tunc percipere res quæ sunt paruas, non verò paruitatem. Contrâ, quia illæ res quæ sunt parvæ, ob paruitatem formalissimè ei sunt viles: si enim illæ res, quæ materialiter sunt parvæ, manerent tamen sine paruitate quia fuissent vnite inter se, ut possunt, iam non essent viles virso, nec ab eo appeterentur; ergo non appetit solam positivam eorum lapidum entitatem, sed sub hac quasi circumstantiâ, quod exigui sint, & apti

ut teneantur sedere. Quod de virso dico, dici potest de aliis animantibus: non enim parvus canis contra multo maiores insurgit, sed solum contra paruos & minores, ergo nouerunt carentiam formaliter, vnde cumque id proueniat, imò & videntur secum facere comparationem, & notare, illum esse se maiorem, hunc verò minorem.

Secundò posset responderi, bruta cognoscere per sensum internum carentias. Sed tunc rogo, Vnde ille sensus accipit eas species? nam externi non eas percipiunt, ergo internus non poterit habere species pro illis, accipit enim semper species à sensibus externis. Video, Aristotelem dixisse aliquando, visum pro obiecto habere lucem, & non lucem; colorem, & non colorem. Sed hoc communiter reicitur, & merito: non enim vident oculi, quando sunt in tenebris, quod principium omni homini est à naturâ insitum.

Tertiò respondebit aliquis, brutum se reflectere per sensum internum supra suos actus, ideoque, quia videt ibi lucem, & alibi non videt, nofcit ibi non esse obiectum, & hoc modo percipere negationes, potestque hæc doctrina non leuiter confirmari. Nam actus illi externi, sicut mittunt species de suis obiectis ad sensum internum communem, cur etiam non mittunt species de seipsis? aut cur excluduntur illi actus ab obiecto proportionato sensui communis? Confirmatur: bruta sentiunt & percipiunt dolorem formaliter: atqui dolor formaliter est actus percipientis, qualitatem contrariam; ergo sensus interior percipit actus exteriorum potentiarum. Duo vel tria faciunt mihi in hac solutione difficultatem. Vnum, inde sequi, posse bruta discurre: non enim immediatè percipiunt negationes, sed hoc quasi modo video colorem hunc, & ibi nihil video, ergo ibi nihil est; hoc autem illis concedere, est valde durum. Secundum mihi ingerit difficultatem, non solum hinc sequi, bruta percipere suos actus, sed etiam suam substantiam; dicunt enim, Ego non video, vel, Ego torqueor. Tertiò, quia non explicatur, quomodo brutum formet species negationum, ut dicat, Nihil ibi est, seu, Ibi est apertum.

Fateor, sustineri posse, quod ea responsio dicit, bruta scilicet percipere dolorem, & actus externos esse obiectum proportionatum sensui interni, & quod de dolore dixi supra, satis esse probabile; per hoc tamen adhuc non explicatur nostrum intentum de negationibus. Dico probabile: nam qui id negare voluerit, dicere poterit, non percipi à sensu communi dolorem formalem, sed obiectiui tantum, id est qualitatem contrariam.

Concludo quoad hoc vltimum punctum, mihi rem esse incertam, an percipiant suos actus externos; quidquid tamen de hoc sit, adhuc difficultatem virgere contra negationes, quomodo percipiantur.

Cui ego respondeo, ut in simili dixi in Phisicis Disputatione x. i. à num. 60. inquirens, an bruta operentur propter finem, in brutis dari species aliquas insensatas (quæ est sententia D. Thomæ, ut ibi ostendi) & re bene consideratâ non potest vlllo modo negari. Dico ergo, eo ipso quod cognoscant & videant obiectum aliquod externum, murum v. g. album, in quo sunt foramina, fenestras, &c. per sensum tantum percipere albedinem illam positivam; Deum autem infundere illis